MOESVS, BRIGO, ET THYNO, 6. 7. ET 8.

Comites Tuiſconis.

MOeſus cum duobus filijs Brigone & Thynone fuerunt ſextus, ſeptimus, & octauus Tuiſconis comites, qui eius imperium ſequentes, res ſuæ fidei commiſſas magna prudentia & dexteritate adminiſtrarunt. Itaq; ea Europæ prouincia, quæ Pannoniæ iungitur, atq; inter Danubiũ & Sauum ad Pontum uſq; Euxinum ſeſe extendit, eis in ſortem ceſsit. Quam cum feliciter gubernarēt, à patre Mœſo Mœſia appellata fuit. Hęc poſtea in ſuperiorem & inferiorem Mœſiam diuiſa, atque regionis incolæ Boſnenſes, Seruij, & Bulgari dicti fuêre, qui patrum memoria omnes ferè Turcæ iugum ſuſceperunt. Beroſ.